

„cedens, nommement celui de Bade., (1) Hic si vellemus prolixius exponere, quid circa cessionem Alsatiae actum fuerit inter Germaniam & Galliam, non Paragraphus nobis esset scribendus, non Caput, non Dissertatio, sed Tractatus vel Volumen integrum, in Compendium ergo res pro ratione instituti erit redigenda; sufficiat dixisse paucisque inquisivisse: quid quantumve Alsatiae Galliae relictum sit ab Imperio nostro?

Cedebatur scilicet Galliae (2) per Pacificationis Monasteriensis de Anno 1648. tabulas art. 37. & 74. Landgraviatus atque Praefectura Prouincialis Alsatiae, cum vero alii omnino fuerint limites Alsatiae, alii Landgraviatus & Praefecturae Prouincialis Alsatiae, pluresque in ista sitae essent ditioes aliis Imperii Statibus immediate subiectae, hinc prospiciebatur his per art. 87.

Quid circa cessionem Alsatiae actum fuerit Monasterii?

Agnovit bonam fidem Gallia, inque eum Immedietatis Statum restituit Principes, Comites, Barones, Civitates in Alsatia bona habentes & resp. fitas, quo fructi semper erant antea, ut adeo Comitibus Ratisbonae Anno 1653. & 54. celebratis interessent conditoque tum Recessui subscriberent pacifice, & haec rerum facies duravit ad Annum usque 1661. manifesto indicio, Galliam non existimasse, plus Iuris, quam quod actu tenebat, cessum sibi esse per Pacificationem memoratam.

Quae rerum facies post Pacem Westphalicam?

B 3

At

- 1) Vid. cit. *Staats-Akta von Teutschl. Part. 1. p. 10.* Add. quoque Tractatus definitivus Viennae A. 1738. conclusus. Quae de Pacificatione Badensi hic proferuntur, Belgium tantum respiciunt, de Alsatia enim nihil ibi deprehenditur.
- 2) Et quidem reluctante tum Domus Austriacae Linea Hispanica, qua occasione 10. IAC. CHIFLETIVS scripsit *Alsatiam Iure Proprietatis & Protectionis Philippo IV. Regi Catholico vindicatam*, Antverpiae. 1650. fol. & in *Oper. Polit. 1650. fol.* cuius potissima momenta in *der Hamburg. Biblioth. histor. Centur. 10. art. 75. p. 287. seq.* Assensit autem postmodum Hispania in Pacificatione Pyrenaeae.